



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

Quando te[m]pestatas excitatur. Exe. 46

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

pluuiæ descendunt, animabus fertilitatem conferentes.

Quando tempestas excitatur.

Exercit. 46.

Psal. 148. Spiritus procellarum faciunt verbum Domini.

Iere. 30. Ecce turbo, Domini furor egrediens.

Psal. 68. Non me demergat tempestas aqua.

Luc. 8. Increpauit Iesus ventum & tempestatem aqua, & cessauit, & facta est tranquillitas magna.

Consideratio.

Considerabimus, horrendum illam tempestatem, & omnium elementorum alterationem, quæ diem iudicij antecessura est: per quam Deus, significabit: quam seuerum & terribile futurum sit iudicium, quod paulò post exerciturus erit.

Gratiarum actio.

Gratias agemus Deo, quod nos hac tempestate tanto ante tempore præmoneat: nobis que memoriã tremendæ illius diei refricet: ne nos imparatos inueniat.

Gratias etiam referemus ei: pro illa

clementia, quod à tentationum procellis sæpenumero nos seruauerit, vel prohibendo ne venirent: aut si venirent, ita illas temperando vt eas sustinere possemus: vires etiam nobis largiendo ne illis succumberemus.

Confusio.

ERubescemus, considerando tempestates cordium nostrorum, quæ ab inordinatis passionibus nostris similia reddita sunt mari turbato, quod sedari nequit.

Petitio.

ROgabimus Deum, vt verbo, tempestates cordium nostrorum quiescere iubeat, optatamque nobis tranquillitatem restituat, cum ipsius diuina Maiestas non habitet nisi in corde quieto & pacifico. Precabimur etiam, vt nos de cætero à procellis & tempestatibus præseruet, quo illi in bona pace & quiete seruire, ac beneficijs ipsius vti valeamus.

Obla.

Oblatio.

Offeremus Deo, perfectam illam tranquillitatem & serenitatem, qua Beatorum animæ in cœlis quo nulla potest appropinquare tempestas: perfruuntur: illumque pro ea laudabimus & glorificabimus.

Quando Solem aspiciamus.

Exercit. 47.

Psalm. 135. Dominus fecit solem in potestatem diei, & Lunam in potestatem noctis.

Mal. 4. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ.

Eccles. 23. Oculi Domini multò plus lucidiores super Solem sunt, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi & hominum corda.

Sap. 3. Iusti fulgebunt sicut Sol.

Consideratio.

Considerabimus, de quam insigni lampade nobis Deus prouiderit, quæ mundum hunc illuminaret. Considerabimus præterea Deum esse sole iustitiæ & lucē inaccessibleem